

PROBLEMA THEOLOGICVM.

DE FUTVRA CARNIS RESVRRECTIONE, ET MODO RESVRGENTI-

um, deq; die extremi iudicij, & ex eodem assertione Catholice, 32. numero desumptae, quas dignitate, & eruditio eximius vir, D. Ioannes Martius Othenbürensis, liberalium artium & Philosophiae Magister, atq; Theologorū auditor, publice in schola Theologorum, pro prima in Theologica professione Laurea consequenda sustinere conabitur, sub patrocinio et tutela Georgij Theandri Procancellarij, sacrarum literarum Doctoris et Professoris ordinarij, 8. Idus Iulias, Annū à redempto orbe 1562.

35

QVÆSTIO.

ST ne Carnis resurrectio certa, & indubitata fide credenda?

CONCLVSIONES.

1. Resurgent mortui, & resurgent, qui erunt in sepulchris. *Esai: 26.*
2. Scio, quod redemptor meus vivit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. *Iob 19.*
3. Nolumus vos fratres ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent. *2. ad Thes. 4.*

THESES.

I. Etsi plures sunt fidei nostræ Catholice articuli magni & sublimes, cuiusmodi nimis est de unitate diuinæ essentiæ, & trinitate personarum, nullus tñ ex ijs oib; est, qui tam arduus sit, & difficilis creditu, atq; ille, qui est de carnis resurrectione, quem nos Christiani firma & indubitata fide profitemur.

II. Si nostram non crederemus resurrectionem esse futuram, sicut omnes penè Ethnici non crediderunt, Saducæi inter Iudeos, & nonnulli Christiani Corinthi, vana esset (inquit Paulus) fides vestra, inanis prædicatio nostra.

III. Inutiles prorsus essent vigilæ nostræ, preces, ieiunia, eleemosynæ, omnia deniq; opera bona nihil nobis essent profutura. Quin potius edimus, ludimus, potamus? Cras enim moriemur.

IV. Quia vero Christus primitæ dormientium à morte resurrexit, non modò firmissimam nobis iniecit spem futuræ resurrectionis, sed & inconcussa fide tenemus, resurrectionem illius, nostræ esse causam, animæ quidem in præsenti, corporis verò in futuro.

V. Cum enim Christus voce sua (prout Ioannis 5. dicitur) suscitaturus sit mortuos, necessariò sequitur, ipsum eò quod ex mortuis resurrexit, nostræ resurrectionis esse autorem.

VI. Quamvis autem Christus passione sua, & morte, nobis nedum resurrectionem, sed & cetera bona omnia promeruerit, nostram tamē resurrectionem persuam operatur, & redemptos morte sua ipse à morte excitatus æternæ nos felicitati tandem restituit.

VII. Ad hæc, ut mortui resurgent, etiam diuina exigit iusticia, ut quemadmodum corpus fuit in merito, ita quod animæ sit socium in præmio.

VIII. Cæterum ante resurrectionem omnes esse morituros, sacre scripturæ consentaneum est, nam qui in aduentu Christi viui adhuc fuerint reperti, in raptu subito & quasi in ictu oculi morientur, & reuiniscunt.

IX. Quod verò quidam dixerunt, omnes in virili sexu resurrecturos, & fœmineum sexum cessaturum, non immerito improbat D. Augustinus. In cœlo enim non nubent, quod mulierum tantum est.

X. Resurgentemus autem omnes in nouissimo die, ea corporis firmitate & ætate, in qua Christus resurrexit, occursum in virum perfectum, in mensuram ætaris plenitudinis Christi, ait apostolus.

XI. Resurgent quoq; sanctorum corpora sine vlo vitio, sine vlla deformitate, sicuti sine vlla corruptione, onere, aut difficultate, in quibus tanta facilis, quanta felicitas erit: propter quod & spiritualia dicuntur, cum procul dubio corpora sint, non spiritus.

XII. An verò reproborum corpora cum ijs vitijs, & deformitatibus, quas in ipsis gestarunt, sint resurrectura D. Augustinus nihil voluit certi statuere, tametsi sint, qui dicant, non videri absurdum, ut quorum nec conditio mutatur, nec status, eorum etiam corpora à priori labe non redimantur.

XIII. Quamvis autem omnes homines, præcipue boni, resurrecturi sint in plenitudine ætatis Christi, non tamen eadem erit, & æqualis omnium statura, quilibet enim mensuram suam accipiet, quam vel in iuventute sua habuit, vel habiturus erat, si ad eandem pertigisset.

XIV. Tametsi autē futuri iudicij dies ignoretur, erunt nihilominus signa, quibus eam aduentare declarabitur: quæ & horrenda & multiplicia fore, iam prius ex sacris scripturis didicimus.

XV. Vbi etiam minimè ignorandū est, fore signa nonnulla, quibus nō erit mundi obitus admodū proximus, nōnulla vero, quæ mudi finis statim sequetur.

XVI. Diuus Thomas tria signa iudicij diē præcessura dicit, mortu⁹ depravationem, Cælesti⁹ rerum immutationē, & elementorū omnium perturbationem.

XVII. Diuus Hieronymus in Ebræorum chronicis, se quindecim iudicij signa reperisse testatur, quæ cū sint apocrypha, nos tantum fidei ijs tribuendū esse censemus, quantum scripturis poterunt probari.

XVIII. Ponitur inter iudicij futuri signa non postremo loco Antichristi aduentus, quem Zacharias pastorem stultum, & idolum vocat, Daniel regē impudētem, & laruatum, Paulus hominē peccati, & perditionis filiū, Euāgelistæ vero abominationē appellant, & desolationē in loco Dei, & templo sedentem.

XIX. Posthac mundus immensis ignibus conflagraturus est, quemadmodū D. Petrus apostolorum princeps testatur, adfirmās cælum, terram, & omnia elementa ardore resoluenda esse, atq; interitura, qui tamē interitus non abolitionem in nihilum sonat, sed commutationem in melius.

XX. Quod autem futuri iudicij dies, & hora adeo obscura esse, & occulta dicitur, ut non solū apostolos, & cælestes spiritus lateat, sed etiam Christo aeterni patris filio sit ignota, id sano accipiendum est sensu, ne in illorum incidamus inquietatem, qui Christum non naturalem & vnigenitum Dei filium, sed adoptiu⁹ tantum facere voluerunt.

XXI. Iam purgato mundo per ignem, statim dominus descendet ad iudicium, in voce archangeli, & in tuba Dei, quæ in aduentu iudicis ab omnibus audiatur, cuiusq; virtute excitabuntur mortui, & de monumentis resurgent.

XXII. Cùm autem in Euangelio legatur, quod dominus missurus sit angelos suos, qui colligant de regno suo omnia scandala, & mittant impios in caminū ignis, minimè dubitandum est, quin hæc omnia impleantur ministerio angelorū, qui & vacando, & adducendo homines ad iudicium, Christo ministrabunt.

XXIII. Iudicaturus est autem Dominus viuos & mortuos in ea forma, qua inuenitus est ut homo, in qua & omnibus in iudicio apparebit, vt videant mali quoq; in quem pupugerunt.

XXIV. Videbunt autem mali solam humanam Christi formam, electi etiam diuinam.

XXV. Tunc celebrabitur à iusto illo iudice generale & iustum iudicium, in quo vnicuique reddet, nō secundum solam fidem, quæ mortua est, sed secundum opera, quæ quisq; gessit in corpore suo, siue bona, siue mala.

XXVI. Porro lata sententia, iusti, & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in suppliciū ignis æterni, quo sine fine non minus anime eorum, quam corpora cruciabantur: quem ignem & Corporeum esse adserimus.

XXVII. Probabiliter ducti ratione adserimus quoq; Dæmones, sicut extiterunt hominibus incentive in culpa, ita quoq; extare eisdem tortores in poena.

XXVIII. Quæ poena etsi in corporum quoq; cruciatu consistit, potissimum tamē in eo, quod damnati iucundissima Dei fruitione in æternum priuentur.

XXIX. Beatitudo verò sanctorum in clara Dei cognitione, & fruitione (Cuius sola rationalis creatura particeps est) consistit.

XXX. Non sunt audiendi x̄iāsai qui beatitudinem collocant in carnis delicijs, Quodq; Christus post suam resurrectionem regnaturus fit cum iustis mille annis in terra, post vero in cælis, in summis quoq; carnis delicijs & voluptatibus.

XXXI. Nos futuram vitam credimus æternam, eamq; in sola Dei visione, & dilectione consistere.

XXXII. Quæ dabitur cuiq; fidelí pro operibus misericordiæ, quæ quicunq; proximo suo impendit, Christo impendisse putandus est, & propterea Christus facientibus ea, vitam impertit æternam, denegantibus verò supplicium æternum.

Laus Deo.

VITVS IACOBEVS POET AC CAESAREVS SVO IOANNI MARTIO S.

Multiplici uarios decerpit fœnore fructus

Excoluit cura qui uigilante solum

Cur MARTI teneris studijs addicte sub annis

Ingenij caperæ præmia nulla tui?

Macete labore nouo tibi decernuntur honores

Quos meruit studij cura, laborq; tui.

Ingolstadij Excudebant Alexander & Samuel Vveysenhorij fratres 1562.



•
•
•

35

A.D. 1562.